

65 illud gravissimum in deserto non temporis longitudine
sed unius diei exigua hora diluisse ? Sed et latro ille qui
pendebat in cruce non eguit prolixitate temporis ut
ingressum paradisi mereretur sed tantum ei spatii sufficit,
quantum expendi potuit, donec unum possit proferre
70 sermonem, ita ut intra momentum temporis totius vitae
sceleribus absolutus praecedere ad Paradisum etiam Apos-
tolos mereretur. Quid autem et Martyres ? nonne fre-
quenter vidimus una die, interdum vero et sub unius
horae spatio, coronas sumere ingentium praemiorum.

7. Et ideo audendum est tantummodo et promptis
atque incitatis animis adgrediendum ut quadam velut
indignatione permoti irascamur adversum deceptricem
nostram libidinem, et affectum atque amorem nostrum
5 convertamus ad virtutum viam. Hoc enim est quod vult
et poscit a nobis Deus, non quaerit temporis longitudinem,
nec afflictionem crucis ; ad hoc praecipue respicit, si vera
sit et sincera conversio. Ideo denique vidimus aliquoties
nonnullos coepisse postremos et factos esse merito priores.
10 Non ergo cecidisse ita malum est, sed post lapsum iacere
et nolle consurgere et cum quadam velut voluptate iam
ac resolutione peccare desperationisque sermonibus mali
propositi vitium tegere. Contra hos enim etiam propheta
cum quadam indignatione proclamat dicens : « Numquid
15 qui cadit non resurget, aut qui aversus est non conver-
tetur ? » Quod si dicas « Quaeritur si aliquis fidelium ceci-
dit et potuit reparari. » Audi ad haec : Hoc ipso quod
dicimus « cecidit », stetisse eum antequam caderet profi-
temur. Nemo enim cecidisse dicit eum qui semper iacuit